O Infinita Bonitas Gratias tibi ago pro universis beneficiis tuis, quae mihi, meisque et monasterio nostro hodie et unquam contulisti: tibi laus et gloria per saecula saeculorum.
O Immensa Majestas, da, ut quidquid hodie tibi displicuit, mihi integre in memoria redeat.

<u>Fit discussio mentis.</u>

Domine Jesu Christe, verus Deus et homo, Creator et Redemptor meus, poenitet me ex toto corde, quod unquam offenderim te Dominum meum et Deum meum, quem amo super omnia, et propono firmiter amplius non peccare, omnesque peccandi occasiones diligenter evitare, suo tempore confiteri, et implere poenitentiam, quae mihi fuerit injuncta, et in satisfactionem omnium peccatorum meorum offero tibi amaram tuam passionem, merita Beatae Virginis Mariae, et omnium Sanctorum, unice sperans, quod mihi per ea remissurus sis omnia peccata mea, et gratiam uberem largiturus, qua vitam sancte instituere, tibique perfecte usque in finem servire valeam. &c.

Jam igitur o amantissime Domine Jesu
Tu meum quaeso maneas,
hac nocte mecum dormias,
ut cor in Domino requiescat,
et nunquam cor obdormiat,
sed semper tecum vigilet,
et te semper desideret,
praesentem absens videat,
quo malum omne caveat,
me Angelus custodiat,
et gratiae donis muniat,
hinc Dathan procul fugiat,
et Jesus solus maneat,
quos tamen tecum colligas,
in tuto cordis foveas,
Ac me nec ipsos deseras,
sed benedicens protegas
et in bonum custodias. R: amen.

ave Maria &c.

R. O Domina mea Sancta Maria, sicut Deus Pater, per omnipotentiam suam te potentissimam effecit, ita mihi quaeso adsis in hora mortis meae, expellendo a me omnem contrariam potestatem.

ave Maria &c.

O Domina mea Sancta Maria, sicut Filius Dei divina sua sapientia et scientia te replevit, ita quaeso animam meam, lumine fidei in hora mortis sic illustra et corrobora, ut nullo errore aut ignorantia pervertatur.

© Universitätsbibliothek Heidelberg
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/salVIII62/0392
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
gefördert durch Baden-Württemberg